Christiani Risii ão 97. d. 25. Junii

Sum Bri[illegible]
ad 1686. 3. 7bris.

vide Dreieri diss. c. Pontificios de hac ma[teri]a ao 1649. editam p. 831.

# Disputatio Theologica

*De*

# IGNE PURGATORIO, QVEM CREDIT ROMANA ECCLESIA,

*Divinâ favente gratiâ*

Consensu Venerandæ Facult. Theol.

*SUB PRÆSIDIO*


**CHRISTIANI DREIERI**

Pomer. SS. Theol. Doct. & Prof. P.


*Ventilationi publicæ exposita*

*à*


**VALENTINO SCHRÖTTERO,**

GOLD. CURLAND.


*Ad diem 21. Septembr. horis matutinis*

In Auditorio Majori.

---


REGIOMONTI *prælo* REUSNERIANO,

ANNO 1645.

*ILLUSTRISSIMO & CELSISSIMO PRINCIPI*
*ac DOMINO,*

# DOMINO JACOBO,

In Livoniâ, Curlandiæ & Semgalliæ Duci, &c. &c.

*Domino meo Clementissimo,*

UT ET

*ILLUSTRISSIMÆ CELSISSIMÆq; PRINCIPI ac DOMINÆ,*

## DOMINÆ ELISABETHÆ MAGDALENÆ,

è Celsissimo Illustrissimorum Pomeraniæ Ducum stemmate oriundæ, in Livoniâ, Curlandiæ & Semgalliæ Duci &c. &c.

*Dominæ meæ Clementissimæ*

SALUTEM!

IGnoscat audaciæ meæ Clementia Vestra, Celsissimi Principes, quod exiguas hasce pagellas Augustis Vestris Nominibus inscribere non dubitaverim. Neq; enim tanti sunt, ut tam Illustre patrocinium eas mereri existimem. Sed quicquid hîc factum est, id omne debitæ erga Illustrisſ. Vestras Celsitudines devotioni adscriptum velim. Hæc me diu subdubitantem tandem [illegible]git, ut qualicunque munusculo gratitudinem & sub[illegible]am erga Vestras Celsitud. sub quarum tutelâ natus & [illegible], publicè contestarer. Hunc devotum animum Il[illegible] Celsitudines pensabunt, & sereno vultu hoc, quicquid est, suscipient. Ego spe firmâ nitor, fore, ut sanctô studia mea prosperante Numine, majus quid olim in bonum patriæ meæ conari & Vestris Celsitudinibus offerre queam. Hanc spem sui Clientis Clementia Vestra & propensus in sacra studia favor, ut hactenus fecit, sic porro fovebit & promovebit. Ita peto submissè, qui nunquam desistam pro felicitate Illustrisſ. Vestrarum Celsitudinum preces ad Deum fundere. Is Celsitudines Vestras cum totâ Illustri domo diu sospitet, omnibus earum consiliis adsit, & quicquid ipsis ex voto sit, affatim largiatur. Dabam Regiomonti 6. Idus Sept. cIↄ. Iↄc. XLV.

*Illustrisſ. Vestrarum Celsitudinum*
Subjectissimus
VALENTINUS SCHRÖTTERUS.

## *THESIS I.*

*SIcut in multis aliis Ecclesiam successu temporis Gentilium erroribus infectam deprehendimus, quod Ethnici ad Christianam religionem conversi superstitiones suas non statim ex animo deponerent; ita vel maximè in doctrinâ de statu animæ post hanc vitam illud contigisse animadvertimus: Platonicæ enim Philosophiæ inprimis seculis plerique, qui sapere sibi præ cæteris videbantur, erant addicti; Platonicum verò & apud Gentiles passim receptum dogma erat de hominibus valdè bonis, quorum animæ in cœlum ascenderent; valdè malis, quorum animæ in Tartarum præcipitarentur; & mediis, quorum mentes per Acherontem in paludem igni ardentem veherentur, ubi peccatorum pœnas exsolverent, & tamdiu purgarentur atque expiarentur, donec puræ & sanctæ inde exirent.*

II. *Eusebius hâc de re disserit lib. 1. Præparat. Evang. cap. ult. ubi, descriptis fluviis infernalibus, ex Platonis sententiâ hæc subjicit:* Qui videntur propter peccatorum magnitudinem, ut sunt sacrilegia, homicidia illegitima, & similia, insanabiles esse, illi conjiciuntur in tartarum, unde nunquam possint evadere. Qui verò excellenter sanctè vixerunt, supra ascendunt in purissimas habitationes, ubi sine labore vivunt in futurum tempus. Qui verò mediocriter vixerunt, illi per Acherontem in paludem igni ardentem devehuntur, ubi peccatorum pœnas exsolvunt & purgati, lustrati seu expiati absolvuntur seu redimuntur, si quid deliquerunt: Deinde benefactorum præmia recipiunt. *Ex eorundem Platonicorum sententiâ Virgilius libr. 6. Æneid. hos scripsit versiculos:*

Exgò exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt: Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub jurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

ani Risü.

III. *Hinc Bellarminus lib. I. de Purgator. cap. XI.* Purgatorium, *inquit*, confitentur gentiles tàm Philosophi, quàm Poetæ, ut patet ex Platone, Cicerone, Virgilio & Claudiano. *Ipsi igitur fatentur adversarij, Purgatorium ex Gentilismo originem traxisse, & potiùs in Gentilium, quàm Prophetarum & Apostolorum scriptis quærendum esse. Non igitur dubium, cum Gentiles ejusmodi opinionibus infecti Ecclesiæ aggregarentur, quin simul ipsis Ecclesiasticis dogmatibus aliquid istius fermenti adhæserit. Nec tamen in seculi II. Scriptoribus quicquam reperimus, præterquam, quod Irenæus lib. 1. c. 18. scribat, quosdam hæreticos suo tempore immisisse defunctorum capitibus oleum & aquam, cum certis invocationibus, atq; sic defunctorū animabus promisisse redemptionem.*

IV. *Sequentibus verò temporibus Patres diversimodè locuti sunt, occasione loci difficilimi 1. Cor. 3, 13. & seqq. quem nonnulli secundum literam acceperunt de vero quodam igne probatorio, & sic Platonicorum sententiam accommodare cœperunt. Primus ex his fuit Origenes seculo III. qui & alios gravissimos fovit errores, sed tamen nihil aliud voluit, quàm cujusq; opera in die futuri judicij rigorosè examinanda esse, & malos igni, forsan quo mundus conflagrabit, probandos atque sic salvandos. Quâ ratione & alij locum illum interpretati sunt, ponentes ignem hunc, non ante resurrectionem mortuorum & extremum judicium cum Pontificiis, sed post illud seu in illo, ut Lactantius Firmianus lib. 7. c, 21. ex seculo IV. Gregorius Nazianzenus, Basilius, Gregorius Nyssenus; ex Latinis Hilarius & Ambrosius.*

V. *Hieronymus præsertim eundem locum citat in Esai. cap. ult. ubi de suppliciis ipsorum damnatorum disserit, iisq; juxta sententiam Originis spem liberationis facit:* Sic peccatorum, *inquit*, atque impiorum & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque

purgan-

purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam judicis. *In hunc locum Hieronymi inciderat Augustinus, & quia ipsi displicebat sententia, quæ spem relinquebat Christianis damnatis, eam refutare annisus est in Enchridio cap. 67, 68, 69. & ad Dulcitium quæst. 1. ubi docet, per lignum, fœnum, stipulam, non posse intelligi peccata gravia damnatorum, sed levia duntaxat fidelium. Inde addit, in hâc vitâ posse etiam ignem illum probatorium & purgatorium dari, quando quis constans in fide & amore Christi in temporalibus jacturam cum aliquo dolore tolerat, ne Christum amittat, atq; sic exponi posse existimat hunc ignem de tentatione tribulationis. Mox subjicit,* tale quid etiam post hanc vitam fieri incredibile non esse, & utrum ita sit, quæri posse.

*VI. Eundem locum tractat in libro de fide & operibus cap. 15. & seqq. & pariter initiò falsam sententiam de Purgatione gravium peccatorum per pœnas inferni temporarias rejicit, addens hæc verba:* Si ista & vera & clara sunt, procul dubio in illâ Apostoli sententiâ alius requirendus est intellectus; atq; in his deputanda est, quæ Petrus dicit: Esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines pervertere ad proprium suum interitum. *Et postea cap. 16.* Sive ergo in hâc vitâ tantum homines ista patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis iste intellectus hujus sententię. *Ex quibus omnibus manifestum est, Augustinum primum hanc sententiam de igne purgatorio ante resurrectionem mortuorum & extremum judicium proposuisse, nec tamen eam pro certâ defendisse, sed ut problema in medium projecisse, de quo disputari posset.*

*VII. Quod tamen ipsi ad hoc ansam præbuerit Philosophia Platonica, cui ille nimium addictus fuit, patere potest ex lib. 21. de Civit. Dei c. 13. ubi citatis versiculis ex Virgilio, quos supra adduximus, exponit sententiam Platonicorum & subdit:* Sed temporarias pœnas alii in hâc vitâ tantum, alii post mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante judicium illud severissimum novissimumq; patiuntur. *Apparet igitur, quod seculo V. demum sententia de Purgatorio privatâ autoritate & dubiè quidem fuerit proposita. Ast subsequentibus temporibus suos invenit adstipulatores & in publicos Ecclesiæ cœtus irrepsit, præsertim sub Gregorio I. qui, præcipitante seculo post Christum natum VI. Patriarchatum Romanum tenuit, & id, quod Augustinus probabile dixerat, simpliciter asseruit, si ejus sunt Dialogi, qui vulgò ipsi tribuuntur: Quin fictitiis revelationibus & prodigiosis animarum apparitionibus hoc dogma confirmare ausus est, ut constat inprimis ex lib. 4. Dial. c. 40. Atq; sic hujus viri audaci assertione effectum est, ut totam Ecclesiam Occidentalem hic error pervaserit.*

*VIII. Pontifices enim & Clerus Romanus, cùm viderent, quantum ad opes suas exaggerandas hæc doctrina faceret, illam mordicùs tenuerunt, nec unquam ex ore & pectore sibi excuti passi sunt. Unde tandem Johannes XIX. quadringentis post Gregorium M. annis, sub initium seculi XI. imperante Henrico Claudo, festum peculiare, quo pro animabus in Purgatorio oraretur, instituit, severeq; id coli præcepit, nullâ aliâ ratione, quàm fictitiis Angelorum revelationibus & superstitiosis animarum apparitionibus adductus. Sicut & Sigebertus refert, ea tempestate peregrinum quendam narrasse, auditas sibi in Siciliâ apud Ollas Vulcani animarum tormenta patientium querelas, quin & dæmonum, eripi sibi animas plangentium precibus Mona-*

*cho-*

*nachorum Cluniacensium, quâ de causâ Odilo Abbas memoriam omnium animarum sanxerit.*

*IX. Dehinc seculo XV. anno* CIↃ *CCCC. XXXIX. in Concilio Florentino Purgatorium inter capita seu articulos fidei relatum est. Quâ de re ita habent literæ Unionis cum Græcis sess. ult. pridie Nonas Julij subscriptæ:* Item definimus, si pœnitentes in DEI charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis & omissis satisfecerint, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & ut â pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, &c. *Tota quidem Orientalis Ecclesia nunquam admisit Purgatorium, attamen Græci in hoc Concilio præsentes cum Imperatore Johanne Palæologo in gratiam Occidentalium, à quibus auxilia adversus Turcam sperabant, aliquid concesserunt. Cæterùm Marcus Ephesinus cum aliis nonnullis huic cæterorum legatorum concessioni palam contradixit, nec reliqui Episcopi, qui domi manserant, eam ratam habuerunt. Idcirco in Epistolâ ad Bohemos anno* CIↃ. *CCCC. LI. die XVIII. Januarij biennio ante captam Constantiopolim scriptâ, â Chytræo editâ, simulatam Florentiæ unionem, quæ rectiùs divisio sive distractio à veritate appelletur, se non admisisse, sed prorsus annihilasse, scribunt.*

*X. Quapropter in solâ Occidentali Ecclesiâ dogma de Purgatorio enatum est, nec terminos aut limites ejus excessit. Græca seu Orientalis Ecclesia semper ab eo fuit immunis, quod ipsi tandem Pontificij autores fateri coguntur. Alphonsus de Castro lib. 8. de Hæres. cap. de Indulgentiis:* Usque in hodiernum diem, *inquit,* Purgatorium â Græcis non est creditum. *Et Jodocus Coccius Tom. II. Thesauri libr. VII. articul. V.* Græci, *inquit,* & Moscovitæ, etsi

ſi funebre ſacrum pro defunctis faciunt, tamen Purgatorium negant. *Imo nec ipſi Latini ſimul omnes*, ſed ſucceſſu temporis ſenſim hoc dogma receperunt, *teſte Johanne Fiſchero Epiſcopo Roffenſi in confutatione Lutheri artic. 18. Tandem Tridentinum Concilium ſub Pio IV. Pontifice Anno CIↃ. D.LXIII. decretum Florentinum repetiit & ſub anathematis interminatione edixit, ut hæc doctrina de Purgatorio à Chriſti fidelibus ubiq; crederetur ſeſſ. VI. Can. XXX. Inde & alij hunc articulum adeò creditu neceſſarium dictitarunt, & etiamnum dicunt, ut*, qui non credit Purgatorium eſſe, eum ad illud nunquam perventurum, ſed in gehennâ ſempiterno incendio cruciandum, *minentur, ut loquitur Bellarminus libr. I. de Purgat. c. XV.*

XI. *Dicunt autem Adverſarij Purgatorium* locum quendam, in quo tanquam in carcere poſt hanc vitam purgentur animæ, quæ in hâc vitâ non plenè fuerunt purgatæ, ut nimirum ſic purgatæ in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coquinatum, *quam definitionem Bellarminus ſuppeditat lib. I. de Purgat. c. 1. & de hoc dicit totam controverſiam eſſe. Nam quæſtiones de circumſtantiis Purgatorij, ubi ſit hic ignis, an in terrâ, an alibi; qualis aut quantus ſit, non eſſe definitas ab Eccleſiâ aſſerit, & proinde in his ſententias Theologorum non eſſe articulos fidei. Nihilominus probabile ajunt, quod tradunt Scholaſtici de quatuor ſub terrâ receptaculis ſeu ſinibus, quorum unus ſit pro damnatis infernus; alter pro purgandis, Purgatorium; tertius pro infantibus ſine baptiſmo decedentibus, Limbus infantum; quartus pro juſtis, quem limbum Patrum dicunt, eumq; jam vacuum, poſtquam Chriſtus in deſcenſu ad inferos Patres inde eduxerit. Sic & probabile dicunt, quod ſit verus ignis corporeus, ſed non de fide.*

*XII. Id verò ipsis certum est & de fide, quod Purgatorium sit non pro damnatis, nec pro iis, qui sine omni culpâ & reatu pœnæ decedunt, sed tantum pro iis, qui cum venialibus culpis moriuntur, vel qui decedunt cum reatu pœnæ, culpis jam remissis, ut loquitur Bellarminus lib. II. cap. I. Qui enim cum culpâ mortali extremum diem claudunt, statim ad inferni æternas pœnas relegari asserunt; qui omni culpâ & reatu pœnæ vacant, illis, ex eorum sententiâ, liber patet in cœlum commeatus, tametsi illorum paucissimi sunt, ut, qui mox à baptismo moriuntur &, qui baptizantur in sanguine, martyres; reliquos hanc pœnam vix evadere existimant, sicut dicit Bellarminus lib. I. de Amiss. Gratiæ & statu peccat. cap. XIII.* pœnam Purgatorij vix ullos justos homines, nisi ex magnâ Dei misericordiâ, evadere, ita, ut rectâ ex corpore ad cœlum evolent.

*XIII. Certi etiam sunt de duplici pœnâ Purgatorij, unâ damni, ut vocant, alterâ sensûs: Pœnam damni dicunt carentiam divinæ visionis & cœlestis gloriæ: Quia enim animæ vehementissimè desiderant cum Deo perfectâ fruitione conjungi; idcò ex hujus conjunctionis defectu & dilatione vehementissimè eas angi statuunt. Pœnam sensûs dicunt ipsos cruciatus, quos sentiunt ex igne Purgatorio, quem volunt specie eundem esse cum igne infernali, qui torqueat damnatos.* Theologi ferè omnes, *inquit Bellarminus lib. II. cap. VI.* docent, eodem loco esse & eodem igne torqueri damnatos & animas Purgatorij. *Itaque ipsis nihil differt ab infernali igne exceptâ æternitate: Temporarias enim esse volunt pœnas Purgatorij, de quarum duratione sic loquitur Becanus in Manuali:* Manent animæ in illâ pœnâ, (nisi aliunde juventur) donec perfectè expiatæ sint per sufficientem passionem, quæ sit proportionata reatui pœnæ temporalis, cui obnoxiæ sunt. Unde, sicut aliæ cum majori reatu



pœnæ

pœnæ temporalis, aliæ cum minore veniunt ad illum locum, sic aliæ citiùs, aliæ tardiùs inde liberantur.

*XIV. Juvari autem volunt animas per suffragia viventium, quorum tria genera esse dicit Becanus lib. I. Manual. cap. VIII. quæst. alterâ n. VI, sacrificium missæ, orationem, opera qualibet pœnalia & satisfactoria, ut sunt eleemosynæ, jejunia, peregrinationes & similia. Etenim in Sacramento pœnitentiæ statuunt virtute clavium removeri quidem pœnam æternam peccatis debitam; remanere verò temporalem, quæ tùm in Purgatorio, tùm in hâc vitâ luenda sit; et hanc eandem pœnam virtute earundem clavium converti in satisfactiones, quales sint orationes, eleemosynæ, jejunia, vigiliæ, disciplinæ sive flagellationes & similes. Et hujusmodi satisfactiones vel ipsa persona in hâc vitâ perfectè pro se, vel alia pro eâ jam defuncta exsolvere potest, ut eò citiùs è Purgatorio liberetur. Imò dicunt, extare thesaurum quendam ejusmodi satisfactionum in Ecclesiâ, quem Pontifex, vel cui ille hanc potestatem fecerit, defunctis applicare possit, ut per eas è Purgatorio liberentur. Inde tanta sacellorum & altarium multitudo, & tot Missarum privatarum demurmurationes, & si quid præterea superstitio peperit.*

*XV. Hæc est publica Romanæ Ecclesiæ doctrina de Purgatorio, quam Ecclesiæ Augustanæ Confessioni addictæ jam inde ab initio reformationis rejecerunt, & etiamnum improbant. Nullum enim pro hoc, quem venditant & appellant, necessario articulo fidei fundamentum in scripturis sanctis invenitur, cum necessariò quodlibet fidei dogma sua in scripturis testimonia habeat:* Neq; *enim* supra, quod scriptum est, sapere nos decet *1. Cor. 4, 6. imò,* quod de Scripturis non habet autoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur, *ut loquitur Hieronymus in Matth. 23. Jam verò ex scripturis aut nulla, aut aliena prorsus & longè petita adversarij afferunt testimonia, ut locum illum planè ad intelligendum difficilem, sicut*

*cut aliquoties eum appellat Augustinus, 1. Cor. 3. v. 15.* Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem. *Item Matth. 12. v. 32.* Non remittetur neque in hoc, neque in futuro seculo. *1. Cor. 15. v. 29.* Quid facient, qui baptizantur pro mortuis. *Matth. 5. v. 25.* Non exibis inde, donec reddas quadrantem novissimum; *& ejusmodi alia, ex quibus nullâ solidâ consequentiâ effici potest id, quod intendunt adversarij: Neq; unquam Ecclesia hæc loca sic intellexit, ut nunc ea explicant Romanenses.*

*XVI. Duplicem tantùm Scriptura purgationem peccatorum novit; externam Leviticam ad emundationem carnis, & internam spiritualem ad emundationem cordis. Illa tribuitur Leviticis ceremoniis, Levit. 12, 8. cap. 13, 6. cap. 14, 9. Hæc verò tribuitur Christo, Spiritui Sancto, verbo & Sacramentis, & fidei. Heb. 9, 13.* Si sanguis taurorum & hircorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis *1. Joh. 1, 7.* Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. *Apoc. 1, 6.* Lavit nos à peccato suo sanguine. *Heb. 1, 3.* Factâ per seipsum purgatione peccatorum nostrorum, sedit ad dextram Dei. *Verbo & baptismo tribuitur Joh. 15, 3:* Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum. *Eph. 5, 26.* Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. *Fidei adscribitur Act. 15, 9:* Fide purificans corda eorum. *Spiritui Sancto, 1. Cor. 6, 11.* Abluti estis, sanctificati estis in nomine Domini Jesu & in Spiritu Dei nostri. *Alterius cujusdam purgationis nullibi fit mentio, nec ullibi igni aut cruciatibus quibusdam post hanc vitam sustinendis purgatio peccatorum adscribitur: Tribulationibus forsan hujus vitæ tribuitur, quia concurrunt cum mediis*

 divini-

*divinitùs ordinatis ad purgationem peccatorum spiritualem; at cruciatibus alterius vitæ Christus ad suos purgandos non utitur, nec est conveniens medium purgationis ignis: Caro enim non igni, sed aquâ purgatur: Unde lavacro aquæ & sanguine Christi mundari dicimur.*

*XVII. Bellarminus quidem lib. 1. de Purg. c. 1. Tria in scripturis inveniri dicit, quibus tribuatur purgatio peccatorum, Christum, tribulationes & ignem purgatorium: Sed in his subticet verbum, sacramenta & fidem: & deinde pro tertio membro non affert claram probationem, sed dicta suprà citata, ex quibus id, quod vult, non sequitur; quod ipse Bellarminus ex parte fatetur lib. 1. c. 4, cum dicit, ex Matth. 12. v. 32.* non sequi id, *quod astruere conantur*, secundum regulas Dialecticorum, sed tantùm secundùm regulam prudentiæ: *Quasi verò ulla sit solida consequentia, quæ non sit Dialectica vel Analytica. Idem alij clariùs fatentur. Petrus à Soto in Assert. Cathol. p. 83.* Non est, *inquit*, cur mirari debeamus, quod nec Prophetica nec Apostolica scripta aliquid certi & perspicui de Purgatorio tradiderint, cum certum sit multa sine Scripturis esse tradita. *Multo ante Sotum Joh. Fischerus Roffensis contra Lutherum art. 18.* Tametsi, *ait*, ex scripturis non possit probari Purgatorium, veritas ejus nihilominus cunctis Christianis est credenda. *Ibidem*: Quanquam fortassis unam aliquam scripturam, quæ proterviente madigat, uti velit nolit, confiteatur, in promptu non sit adducere: potest esse nihilominus illîc aliqua, tametsi diligentissimos inquisitores hactenus latuerit.

*XVIII. Deinde falsis hæc doctrina superstruitur hypothesibus, remitti sc. culpam ex parte, ut maneat adhuc debitum luendæ pœnæ temporalis vel in Purgatorio, vel in hâc vitâ: Scriptura enim talem remissionem peccatorum & effectum clavium Ecclesiæ nobis describit, quo cum imperfecta ista peccatorum remissio*

*missio consistere nullâ ratione potest. Ita enim Deum remittere peccata testatur, ut* eorum ampliùs recordari nolit *Ezech. 18, 22.* ut projiciat ea post tergum *Es. 38, 17.* demergat in profundum maris *Michæ 7, 19.* deleat instar nubis *Es. 44. 22.* ut tàm longè ea à nobis removeat, quàm est oriens ab occidente *Ps. 103, 12.* ut non imputet transgressionem *Rom. 4, v. 8.* ut totum debitum condonet *Matth. 18, 33.* ut nulla in peccatoribus amplius sit condemnatio *Rom. 8, 1. Quæ dicta alioquin contra nos urgere solent adversarij, ut defendant, post baptismum nihil peccati remanere in homine, & tamen hoc loco improvidè sentiunt, remisso peccato, pœnas multò acerbiores remanere, quàm sint omnes in universum afflictiones, quas in hâc vitâ aliquis perpeti queat: Sic enim describunt cruciatus Purgatorij.*

*XIX. Altera falsa hypothesis est: Quod nostræ satisfactiones ad relaxandam pœnam temporalem requirantur. Scriptura enim soli passioni Servatoris satisfactionem, eamq; plenissimam pro peccatis nostris tribuit.* Utique dolores nostros ipse tulit, *ait Esaias 53, 4.* vulneratus & attritus est propter peccata nostra, castigatio pacis nostræ *seu retributionis nostræ, quæ nobis erat tribuenda.* super eum *v. 5.* liberavit nos à maledicto legis *i. e. ab omnibus pœnis peccatorum Gal. 3, 13.* Sanguis ejus emundat ab omni peccato *1. Joh. 1, 7. neq; id imperfectè, sed perfectissimè:* Una oblatione τετελέιωκεν consummavit in æternum sanctificandos *Heb. 10, 14. Nec permittit justitia Dei, ut idem peccatum bis puniatur, in Christo & in nobis. Citatorum locorum evidentiâ convictus ipse Bellarminus lib. 2. de Indulg. c. 10.* Christus, *inquit,* satisfecit Deo Patri plenissimè pro reatu culpæ & pœnæ temporalis & æternæ omnium peccatorum. *Ad quid igitur sodes nostræ satisfactiones requiruntur? ut applicentur satisfactiones Christi? At ubi de tali applicatione Scriptura agit? si sine nostra satisfacttione applicatur nobis satisfacto Chri-*

*sti quoad remissionem culpæ & pœnæ æternæ, quidni etiam quoad remissionem pœnæ temporalis?*

*XX. Tertiò tot sunt animarum post hanc vitam receptacula, quot sunt hominum diversimodè viventium genera: Prout enim homo vixerit, ita post hanc vitam præmium vel pœnam recipiet, & in diversa loca recipietur. Sic Bellarminus ipse lib. 1. de Purg. c. 11. ex diversis hominum generibus diversa habitacula extruere conatur. Sed hominum genera duo tantùm Scriptura novit,* credentium & incredulorum *Marc. 16, 16. Joh. 3, 18. & v. 36.* filiorum lucis & filiorum hujus seculi *Luc. 16, 8.* carnalium & spiritualium *Rom. 8. v. 5. Gal. 6. v. 8.* eorum, qui cum Christo sunt, &, qui contra Christum *Matth. 12, 30. Ideò duo tantùm pro his receptacula dantur, cœlum pro credentibus, & infernus pro incredulis. Sicut enim inter credere & non credere, spirituale & carnale nullum datur medium; sic nec inter absolutionem & condemnationem datur medius actus, nec inter habitacula, ubi absolutio & condemnatio se exserit, datur medius locus.*

*XXI. Ideò & disertè duò tantùm receptacula nominantur in scripturis.* Congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili *Matth. 3, 12.* Porta una deducit ad perditionem, altera ad vitam, *Matth. 7, 13.* Pii cum sanctis Patriarchis recumbunt in regno cœlorum, impii ejiciuntur in tenebras exteriores *Matth. 8, 11.* Lazarus ab Angelis deportatur in sinum Abrahæ, dives epulo in infernum detruditur, *Luc. 16. v. 22. 23. Nec est, quod dicant, agi de locis perpetuis, non temporalibus: Contextus enim distinctionem illam non admittit, cum totus motus quasi ex statu hujus vitæ in statum alterius vitæ describatur, & ex proposito Christus & Apostoli homines moneant de præmiis & pœnis post hanc vitam exspectandis, quò conari, quid vitare debeant. Inde pœnarum tempora-*

*pora-*

*poralium hujus vitæ evitandarum sæpius meminit scriptura; & temporalium cruciatuum post hanc vitam, qui longissimè omnes hujus vitæ dolores & cruciatus excedant, non meminisset, si quidem tales darentur?*

XXII. *Eâdem de causâ, quià post mortem duo tantùm omnes homines status manent, ex quibus nemo post fata eluctari queat, tàm crebrò nobis Scriptura inculcat, tempore hujus vitæ utendum esse, quò ad statum beatorum perveniamus & statum damnatorum effugiamus.* Tempus breve est, *ait Apostolus 1. Cor. 7, 29. scilicet, quo in nostrum commodum uti possimus;* & tempus opportunum redimendum *monet Eph. 5, 16.* Currere debemus, dum in stadio sumus *1. Cor. 9. 24.* Cursus enim consummatur in morte *2. Tim. 4, 7.* dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes *Gal. 6. 10.* Venit nox, quando nemo potest operari, *quæ est, quando quis non est ampliùs in hoc mundo Joh. 9, 5. Nemo igitur post hanc vitam pœnitentiam agere, pro peccatis suis satisfacere, & scelus suum expiare potest: Secùs enim & post hanc vitam operatio, & cursus & tempus æternas pœnas evitandi daretur.*

XXIII. *Porro Scripturæ perspicuè docent, eos, qui in Domino, i. e. in fide & pœnitentiâ moriuntur, statim à morte beatos esse, & ad locum gaudij aut solatij pervenire.* Beati mortui, qui in Domino moriuntur *ἀπάρτι* à modò: Profectò dicit Spiritus, quod requiescant à laboribus suis *Apoc. 14, 13.* Animæ justorum sunt in manu Dei, ubi nullum eas tormentum attingat *Sap. 3, 1.* Justi per mortem suam ingrediuntur in pacem & requiescunt in cubilibus suis *Es. 57, 1.* Scimus, quod, dissolutâ terrestri domo nostrâ hujus habitationis, ædificium ex Deo habeamus in cœlis *2. Cor. 5. 1. ubi hæc immediatè connectuntur, corpus, mors & cœleste habitaculum: Neq; id nos præsumere dicit Apostolus, sed scire. Et posteà v. 6. & 8* Dum sumus in corpore, pe-

re, peregrinamur â Domino, cum peregrinamur â corpore, præsentes sumus apud Dominum. *Christus similiter Joh. 5. v. 24.* credentes in judicium non venire, *dicit*, sed transire de morte in vitam. *Nullum ergò judicium, nulla damnatio ad pœnas aut cruciatus interponitur inter mortem & vitam æternam. Sic Latro in cruce statim cum Christo in paradisum veniebat Luc. 23, 43, eo ipso vid. die, quo crucifixus erat, cum circa vesperam demum moreretur; & Lazarus statim portatus est in sinum Abrahæ, dives epulo detrusus est in infernum Luc. 16, 22.*

*XXIV. Et hoc ipsum dum sciunt fideles, læti mortem cum vitâ commutant, imò nihil magis desiderant, quàm beatum ex hâc vitâ discessum.* In hoc suspiramus expetentes domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui *2. Cor. 5, 2.* desideramus magis peregrinari â corpore *v. 8.* Mori mihi lucrum; cupio dissolvi & esse cum Christo *Philip. 1, 23.* *quæ verba quivis Christianus cum Paulo usurpare potest: Suo n. exemplo, quales in vitâ & morte se gerere debeant, Christianos omnes docet. Sicut & quisque verba Simeonis sua facere potest Luc. 2, 29.* Nunc dimittis servum tuum Domine in pace, *è vinculis, & doloribus corporis eum transire facis ad quietem. Et ut ejusmodi cogitationem & spem homo pius concipiat, nec quicquam laboris aut molestiæ post hanc vitam metuat, Scriptura mortem sæpius cum somno comparat & piè defunctos dormire asserit Joh. 11, 11. 1. Thess. 4, 13. Quam piorum* εὐθανασίαν *ac mortis contemptum sanctumq; moriendi desiderium doctrina de Purgatorio planè subvertit: Quomodo enim non contremisceret, & cum summâ cordis angustiâ, ingentiq; horrore hinc discederet, qui se ad tantos cruciatus & tam dira tormenta pergere cognoverit?*

*XXV. Tandem Patres primorum quinque seculorum quod attinet, illi certe doctrinam recentis Romanæ Ecclesiæ de Purgatorio*

*torio prorsus ignorant, & tùm apertè duo tantùm receptacula cœlum & infernum, locum gaudii & supplicii, in quæ statim animæ post solutionem à corpore perveniant, astruunt; tùm ejusmodi nobis sententias passim suppeditant, quibus cum Purgatorium consistere nullâ ratione possit. Seculo II. Justinus Martyr, vel quicunq; fuerit Autor, in quæst. & resp. ad Orthodoxos quæst. 75.* Post exitum è corpore, *ait,* statim fit justorum & injustorum discretio: Abducuntur n. ab Angelis ad condigna se loca. Ac justorum quidem animæ in paradisum, ubi consvetudine & aspectu fruuntur Angelorum & Archangelorum, adde & conspectum Servatoris Christi, ut est in illo: Peregrinantes â corpore & versantes apud Dominum: Injustorum a. animæ ducuntur in inferni loca. *Idem autor quæst. 60. notabilem habet sententiam, quæ Purgatorium destruit:* Est a. *inquit*, hæc de Lazaro & divite narratio illustris & evidens sermo, quo docetur, non posse post animæ ex corpore exitum, homines ullâ providentiâ, aut studio assequi ullam utilitatem.

*XXVI. Eodem seculo, quo Alexandriæ floruit Justinus, Lugduni in Galliâ vixit Irenæus, qui se discipulos Apostolorum audivisse gloriatur: Hic lib. 1. c. 2. ex professo recensens articulos fidei Catholicæ, cum maximè ansam haberet loquendi de Purgatorio, nihil ejus meminit.* Ut spiritualia quidem, *inquit*, nequitiæ & angelos transgressos atq; Apostatas factos & impios & injustos & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat: Justis a. & æquis & præcepta ejus servantibus quibusdam quidem ab initio, quibusdam a. ex pœnitentiâ vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat & claritatem æternam circumdet.

*XXVII. Seculo III. Origenes Clementis Alexandrini discipulus Cæsariensis in Syriâ Presbyter in præf. libri* περὶ ἀρχῶν: Anima, *inquit*, substantiam vitamq; habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, pro meritis suis dispensabit, sive vitæ æternæ ac beatitudinis hæreditate potitura, si hoc ei sua gesta præstiterint, sive igni æterno ac suppliciis mancipanda. *Idem lib. 6. contra Celsum*: Quamobrem & nobis, *inquit*, post exactos in hâc vitâ labores spes est cœli summa conscendere.

*XXVIII. Eodem seculo Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus fuit Cyprianus, qui in sermone de mortalitate*: Hoc, *ait*, quod sine ullo discrimine generis humani justi cum injustis moriuntur, non est, quod putetis, bonis & malis interitum esse communem. Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti, datur tutela fidentibus, perfidis pœna. *Ibidem circa finem*: Cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos & laqueis secularibus exutos paradiso restituit & regno cœlesti. *Et tract. 1. contra Demetrianum*: Hortamur, *inquit*, dum facultas adest, dum adhuc aliquid de seculo superest, Deo satisfacere. Quando istinc excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hîc vita aut amittitur, aut tenetur, hîc saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei providetur. Venia confitenti datur & credenti indulgentia salutaris de divinâ pietate conceditur & ad immortalitatẽ sub ipsâ morte transitur. *En quid clarius?*

*XXIX. Seculo IV. Athanasius Alexandrinus Episcopus in libro de Virginitate non procul â fine*: Non est justis mors, *ait*, sed translatio, quippe qui transferuntur ex hoc mun-

mundo in requiem æternam, non aliter, quàm si quis de excubiis abeat; ita quoq; Sancti â malâ istâ vitâ discedunt ad bona, quæ illis parata sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neq; in cor hominis subierunt. *Coætaneus Athanasii fuit Macarius Senior Presbyter Ægyptius Antonii discipulus: Is hom. 22. de duplici statu decedentium:* Cum anima, *inquit*, decesserit è corpore hominis, tunc magnum quoddam peragitur mysterium: Nam si fuerit illa peccati rea, accedunt chori dæmonum & angeli sinistri ac potestates tenebrarum, apprehendunt animam illam & imperio suo subjugatam in suas partes pertrahunt.— Quod a. res ita se habeat, ex eâ parte potes intelligere, quæ felicioris est conditionis: Siquidem ex præsenti tempore Sanctis Dei servis assistunt angeli ac Sancti Spiritus circumdant eos & custodiunt. Cumq; exierint è corpore, chori angelorum assumunt animas in suam partem in seculo puro & sic adducunt eas ad Dominum.

XXX. *Postea medio hoc seculo apud Pictavos in Galliâ Episcopatum tenuit Hilarius, qui in Enarratione Psalmi 2. sub finem:* Ne quis, *ait*, sibi interim poenæ lucro inter moras judicij blandiatur: In brevi namq; exardescit ira. Excipit n. nos statim infernus & decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de viâ rectâ perimus. Testis nobis sunt Evangelij dives & pauper, quorum unum Angeli in sedibus beatorum & in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim poenæ regio suscepit. Adeo a. statim poena mortuum excepit, ut etiam fratres ejus in supernis manerent. Nihil illic dilationis & moræ est. Judicij n. dies vel beatitudinis retributio est æterna vel poenæ. Tempus v. mortis habet interim unumquemq; suis legibus, dum ad judicium unumquemq; aut Abraham reservat, aut poena.

 XXXI. *Vi-*

XXXI. *Vixit quoq; hâc tempestate Gregorius Nazianzenæ in Cappadociâ Ecclesiæ Episcopus, qui orat: 10. de laudibus Cæsarii fratris:* Sapientum, *inquit*, verbis adducor, ut credam, pulchram omnem animam & Deo charam, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinùs bonum, quod eam manet, persentientem & contemplantem mirabili quâdam voluptate affici & exultare, atq; hâc vitâ, tanquam gravi quodam ergastulo, liberatam, compedibusq; illis, quibus mentis alæ deprimebantur, solutam summâ cum hilaritate ad Dominum suum tendere, ac reconditam beatitudinem jam velut per imaginem & simulacrum percipere. Σύγχρονος *Gregorii fuit Epiphanius Salaminæ in Cypro Insulâ Episcopus, qui hæresi 59. quæ est catharorum, nu. 10.* Sed neq; pietatis, *inquit*, ullum lucrum est, aut pœnitentiæ, uti diximus, post mortem. Non n. Lazarus illic ad divitem pergit, neq; dives ad Lazarum. *Rationem statim addit:* Siquidem obsignata sunt promptuaria, atq; expletum tempus est, certamen confectum, vacuum stadium, distributæ coronæ; & qui certarunt, quiescunt, & qui non prævenerunt, excessere: & qui non decertaverunt, non ampliùs adsunt: & qui in stadio victi sunt, ejecti sunt, & omnia palam consummata sunt post factum hinc dicessum.

XXXII. *Non minùs hoc tempore in Italiâ claruit Ambrosius Mediolanensis Episcopus. Hic Tom. 3. de obitu Valentiniani Imperatoris circa finem:* Nec nos quidem, *ait*, dubitamus de meritis Valentiniani, sed jam credamus vel testimoniis Angelorum, quod desertâ labe peccati ablutus adscendit, quem sua fides lavit & petitio consecravit. Credamus, quia ascendit â deserto, hoc est, ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes, ubi cùm fratre conjunctus æternæ vitæ fruitur volu-

ptate.

ptate. *Et de obitu fratris sui Satyri:* Christ s etsi nunc non tetigit loculum, suscepit tamen commendatum Spiritum: etsi non apellavit corporis voce defunctum, divinæ tamen potestatis autoritate â cruciatibus mortis & nequitiæ Spiritalis incursionibus ejus animam liberavit. Etsi non resedit in loculo, qui erat mortuus, tamen requievit in Christo. Etsi non locutus est nobis, tamen ea, quæ supra nos sunt, cernit, &, quæ potiora sunt nobis, jam se videre lætatur. *Et post:* Intravit igitur in regnum cœlorum, quoniam credidit Dei verbo. *Item:* De istius beatitudine nequaquam utiq; dubitare debemus. *Pariter de obitu Theodosii Imperatoris in medio:* Feriatus his seculi curis Theodosius se ereptum gaudet & elevat animam suam, atq́ ad illam perpetuam dirigit requiem — Illa est vera gloria, quæ ibi sumitur, illud regnum beatissimum, quod ibi possidetur, ad quod festinabat Apostolus dicens: Audemus ergò & consentimus magis peregrinari de corpore & adesse ad Dominum, & ideo annitimur, sive absentes, sive præsentes, placere illi: Absolutus igitur dubio certamine fruitur nunc Augustæ memoriæ Theodosius luce perpetuâ, tranquillitate diuturna, & pro iis, quæ in hoc gessit corpore, munerationis divinæ fructibus gratulatur.

XXXIII. *Non aliter in suis orationibus loquitur Gregorius Nyssæ Episcopus Basilii M. frater; veluti in funere Pulcheriæ:* Etiamsi, *inquit*, â te dicessit puella, attamen ad Dominum recurrit: tibi oculum clausit, sed lumini æterno aperuit: â tuâ mensâ remota est, sed angelicæ adhibita: hinc planta revulsa est, at in paradiso sata est; de regno ad regnum traducta est: purpuræ florem exuit, at superi regni amictum induit. *Similiter in funere Pla-*

 *cillæ;*

*cillæ:* Salvum, *inquit*, fratres est bonum, quod quærimus, salvum est, non periit. Imò v. minus dixi, quàm veritas habet. Non modò n. salvum bonum est, verùm etiam est in sublimioribus, quam priùs. Imperatricem quæris? In palatio domicilium habet—Tunc videbis, cum & ipse è corpore eminens prospexeris. *Et paulo post:* Quid igitur molestum & acerbum est, si â vitæ malis beata ista segregata est, & veluti lemâ quadam, corporis sordibus abjectis pura anima ad immortalem & incorruptam vitam transit.

XXXIV. *Sub finem hujus seculi in Palæstinâ floruit Hieronymus Presbyter Hierosolymitanus, & Romæ versatus, qui in Epitaphio Nepotiani Presbyteri, sui ex sorore nepotis, non procul ab initio:* Scimus quidem, *inquit*, Nepotianum nostrum esse cum Christo & Sanctorum mixtum choris, quod hîc nobiscum eminus rimabatur in terris, & æstimatione quærebat, ibi videntem cominus dicere: Sicut audivimus, sic & vidimus. *Et ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ:* Postquam sarcinâ carnis abjectâ ad suum anima revolavit autorem, & in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit, ex more parantur exequiæ, & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Videbatur mihi nunc clamare de cœlo: Non agnosco vestes, amictus ille non est meus. *Et post:* Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam ignis æstuat. Nos, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravamur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus. *Sic ad Theodoram in Epitaphio Lucinij:* Obsecro te & currentem, ut ajunt, impello, ut Lucinium tuum desideres quidem, ut fratrem, sed gaudeas regnare cum

Chri-

Christo — Ille jam securus & victor te aspicit de excelso, & favet laboranti: Et juxta se locum præparat.

XXXV. *Sub initium seculi V. vixit Johannes Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus, qui hom. 4. in Ep. ad Heb. in Morali:* Dic mihi, *inquit*, quid sibi volunt claræ lampades? Annon eos tanquam Athletas deducimus? Quid a. hymni? Annon Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excesfit, jam coronaverit? quod â laboribus liberaverit? quod ejecto metu eum apud se habeat? *Et homil.36. in Genesin:* Qui vitam honestè & in virtutibus egerunt, quando ex hâc vita emigrant, verè liberantur, & quasi solvuntur certaminibus, & â vinculis relaxantur. Est n. mors his, qui benè vivunt, translatio quædam ad meliora: â momentaneâ vitâ ad perpetuam & immortalem finemq; non habentem. *Et hom.2. de Lazaro:* Donec hîc fuerimus, spes habemus præclaras, simulatq; v. discesserimus illuc, non est in nobis situm pœnitere, neq; commissa diluere.

XXXVI. *Huc quoq; spectat Augustinus Hypponensis in Africâ Episcopus, quem supra diximus semina prima Purgatorii sparsisse, nihilominùs clarè contra illud loquitur lib.13. de Civit. Dei c. 8.* In requie sunt, *ait*, animæ piorum á corpore separatæ, impiorum a. pœnas luunt, donec istorum ad vitam æternam, illorum v. ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reviviscant. *Et lib. 21. c. 25.* Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: Hæc profectò Apostolica falsa est sententia: Si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei possidebunt. Sed quoniam falsa non est, profectò regnum Dei non possidebunt. Et si in regni Dei possessione nunquam erunt, æterno supplicio tenebuntur, quoniam non est

locus

locus medius, ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno.

*XXXVII. Cyrillus hoc seculo Alexandrinus Episcopus fuit, qui lib.12. in Johannem cap.78.* Credere namq;, *ait*, debemus, cum â corporibus Sanctorum animæ abierint, tanquam in manus charissimi Patris bonitati divinæ commendari: nec, ut quidam infidelium crediderunt, in terris conversari, quousq; sepulturæ honoribus affectæ sint: nec peccatorum animæ ad immensi cruciatus locum id est ad inferos deferri: itinere hoc nobis â Christo primùm præparato; Sed in manus potius Patris evolare. Tradidit enim animam suam manibus Genitoris, ut ab illâ & per illam facto initio certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros, vitamq; multò meliorem ac perpetuò cum Christo victuros: ideo enim Paulus desideravit resolvi & esse cum Christo.

*XXXVII. Medio hoc seculo vixit Prosper Aquitanus Episcopus Rhegiensis in Galliâ, Augustini discipulus, qui lib.* I. *de vitâ contemplativâ cap.* I. Quia, *inquit*, secundum scripturæ sacræ sermonem tota humana vita tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda, quando finitur & pugna: & tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam succedit pugnæ secura victoria: ut omnes milites Christi, qui usq; in finem vitæ præsentis divinitùs adjuti suis hostibus infatigabiliter restiterint, laboriosâ jam peregrinatione transactâ, regnent felices in patriâ. *Sub finem seculi hujus Gennadius Massiliensis in Galliâ Presbyter in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, qui extat inter libros Augustini Tom.3. cap.76.* Post ascensionem, *ait*, Domini ad cœlos omnium sanctorũ animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt,

expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur, sicut & peccatorum animæ in inferno sub timore positæ, exspectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad poenam detrudantur æternam. Pœnitentiâ aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in ultimo vitæ spiritu admissorum pœniteat; quia propositum Dei, quo decrevit salvare, quod perierat, stat immobile: & ideo, quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ, si tempus concedi-tur, sive supplici confessione, si continuò vitâ exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur â perditione pœnitendo & salvatus miseratione Domini vivat. Si quis aliter de justissimâ Dei pietate sentit, non Christianus, sed Novatianus est.

*XXXIX. Ex his abundè constat, quæ fuerit primitivæ Ecclesiæ sententia, sc: quod Purgatorium penitùs ignoraverit, & proinde nova prioribus seculis inaudita sit doctrina, quam Papæ sectatores nostris temporibus vel paulò ante commenti sunt, adeoq; , nisi toti antiquæ Ecclesiæ hæreseos dicam adversarii impudenter scribere velint, nos ob negatum Purgatorium hæreseos insimulare desistent. Evidentiora, hæc quæ adduximus, sunt testimonia, quàm ut ullis glossis aut peregrinis commentationibus depravari queant. Neq; possunt adversarii pro sua sententia dicta Patrum citare, nisi obscura, longè petita, & nihil minùs, quàm Purgatorium, probantia. Quicquid n. asferunt vel spectat preces pro defunctis, vel opinionem quorundam privatam de purgatione post resurrectionem mortuorum & diem judicii ex 1. Cor. 3, cujus supra mentionem injecimus, quæ certè longissimè abest â doctrina moderna Pontificiorum de Purgatorio.*

XL. *Preces pro defunctis, quod fatemur, Patres in primis seculis astruunt, usurpant, defendunt; imò constat tertio quartoq; seculo & deinceps hunc morem propemodùm universaliter obtinuisse, ut non in funere solùm, sed anniversariâ etiam die orationes & oblationes pro mortuis fierent. Sed quod Purgatorium statuerit antiqua Ecclesia, inde nondum conficitur: Nam pro omnibus promiscuè orabat etiam in cœlo constitutis, sicut dicit Augustinus libro de curâ pro mortuis cap. 4.* Non esse prætermittendas supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christianâ & Catholicâ societate defunctis susceperit Ecclesia. *Ambrosius Gratianum & Valentinianum Imperatores beatos statuebat, ut supra vidimus, attamen in eadem oratione de obitu Valent:* Nulla dies, *inquit*, vos silentio præteribit: nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contextione transcurret. *Similiter pro Satyro fratre orat, de cujus beatitudine nequaquam dubitandum, dicebat:* Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam: tibi hostiam meam offero, cape serenus & propitius fraternum munus. *Quin orabant in primitivâ Ecclesiâ pro Patribus & Patriarchis & Prophetis, & Apostolis, & Evangelistis, & Martyribus, & Confessoribus, ut habet Epiphanius hæres: 75. num. 7. quos nequaquam statuunt Pontificii in Purgatorio esse, vel ad illud pervenisse.*

XLI. *Deinde multi dantur alij fines, ob quas ejusmodi deprecationes fiebant, ut nihil necesse sit de Purgatorio cogitare. Fundebat sc: Ecclesia has preces pro defunctis ex fervente charitate, ut demonstraret, quantopere desideraret, eos participes esse salutis illius æternæ & futuræ gloriosæ resurrectionis, ad quam & ipsa toto pectore anhelaret; item ut viventes inde*

*solatium*

*solatium perciperent & de beatu suorum obitu eò magis confirmarentur; porro ut Deo ita pro beneficiis in defunctos & viventes collatis gratiæ agerentur. Deniq; & hoc fatemur, quod existimârint, defunctos precibus viventium juvari, veluti Tertullianus in lib. de Monogamia viduam hortatur*, ut pro anima mariti oret & refrigerium interim adpostulat ei & in prima resurrectione consortium, offeratq; annuis diebus ejus dormitionis. *Athanasius q. 33. ad Antiochum;* peccatorum, *inquit*, animæ ex piorum precibus & bonis operibus solamen accipiunt. *Chrysostomus Homil. 41. in 1. Cor.* Non sunt, *ait*, hæc temerè excogitata, sed ut inde eis aliqua sit consolatio.

XLII. *Talia occurrere in patribus non negamus, sed purgatorium inde non sequitur: Existimârunt enim, ne dicam de corpore, quod putrefactioni obnoxium iterum excitandum est, animam etiam in cœlo existentem, licet beata jam sit, nondum tamen completam beatitudinem obtinere ante resurrectionem, quando cum corpore iterum unietur, uti inprimis constat ex verbis Gennadij supra citatis; itaq; hactenus in ipso etiam cœlo & statu beatorum defunctis intercessiones viventium prodesse posse judicârunt. Nonnulli etiam iis minui ipsos damnatorum, si non omnium, saltem quorundam cruciatus in inferno existimarunt. Sic Chrysostomus homil. 3. in Epist. ad Philip. in Morali dicit, eos inde aliquid percipere refrigerationis. Augustinus in Enchridio cap. 110. idem dicit: Non omnibus prosunt, ait, & quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisq; gessit in corpore? — Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

XLIII. *Sanè Augustinus eò usq; progreditur, ut dicat, preces defunctis prodesse ad plenam remissionem peccatorum.*

*Sed nec sic purgatorium statuitur, cum animam in tali statu post hanc vitam aliquantisper versari posse existimet, in quo remissionem peccatorum adhuc obtineat, nec tamen sit in carcere, in quo igne purgetur & expietur. Hæc ita patres senserunt de precibus pro defunctis in scripturâ non fundatis; ex quibus adeo manifestum est, quod inde nequaquam ostendi possit, veteres Purgatorium credidisse. Nihil igitur est, quod nos ad statuendum ignem purgatorium moveat, multa v. sunt, quæ in contrarium evincant, novam, Scripturis adversam, priscis seculis incognitam esse doctrinam de Purgatorio. Valeant igitur isti superstitiosi, qui præcipuum Christianis solatium de εὐθανασίᾳ & abitu piorum ex hâc vitâ ad locum meliorem ereptum eunt; nos, quod nobis Scriptura manifestè suggerit, & antiqua Ecclesia Catholica credidit, certi sumus, animas nostras, quâm primum è corpore exeunt, â Christo suscipi & æternâ quiete frui.*